



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementvm LVII. Ad pag. CXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

& Maximianus ita caverunt: *Exceptis qui Liberalium studiorum antistites sunt, & qui medendi curâ funguntur, decurionum decreto immunitas nemini tribui potest.* Nec enim inter illos alii videntur tunc numerati quàm Grammatici & Rhetores. Fortassis autem à Triboniano Philosophi omitti sunt, quia illo tempore erant & rari & contempti.

## SUPPLEMENTVM LVII.

Ad pag. cxvi.

Quæ de Medicorum probationibus diximus, dubito num recte sese habeant. Diserte enim Symmachus *l. 1 ep. 26 de Medicis* inquit: *Lege cautum est, ut primi artis ejusdem de novorum scientiâ judicarent.* Atque ita longe aliter fuerint intelligenda, quæ ad Olybrium Præfectum Urbis rescripserunt Valentinianus & Valens. Et verò cum Roma non habuerit Decuriones, saltem de illo Ordine Imperatores non sunt hîc loquuti. *Primi* porro *Artis* videntur Symmacho dicti qui aliàs Archiatri audierunt: quod fateor rectè monuisse Pancirollum *l. 2 c. 45:* mutata scilicet de Archiatri sententia nostra pristina: prout jam tum fecimus in Supplemento XXVII. Quæ Medicorum autem, eadem isthac tempestate videtur fuisse conditio Philosophorum. Disertè enim satis id ipsum significant quæ pag. III verba adduximus Valentiniani & Valentis Imperatorum: *Reddatur unusquisque patriæ suæ, qui habitum Philosophiæ indebite & insolenter usurpare cognoscetur: exceptis his qui à probatissimis approbati ab hac debent collusione secerni.* Ex quibus verbis simul hoc tamen etiam discere est, non omnes habitu Philosophico tunc amictos ante illius habitus assumptionem probari solitos, sed spontaneo arbitrato vulgò id fuisse factum. In Iuliani etiam Imperatoris constitutione *Ordinis* voce intelligendos ipsos *magistros studiorum*; ut *Curiales* de-

mum



num sint Decuriones, non amplius multum repugnabimus. Et vero cum Advocos probari à suæ Juridicinæ magistris mos tunc fuerit, quidni etiam circa alios id fuerit observatum? Sed & jam tum Supplemento XIII adducta sunt verba S. Augustini, quæ non obscure indicant, sese à Symmacho Urbis Præfecto Mediolani constitutum fuisse Professorem Rhetoricum, *dictione proposita probatum.*

Legi vero majoris illustrationis causâ heic merentur, quæ etiam de Advocatorum probatione olim fuerunt constituta *l. 9 nemini Codic. de Advocat. divers. judicior.* Quicumque nimirum patroni causarum munus ambiebat, docebat primo apud Præsidentem Provinciæ se cohortalem non esse i. e. non obnoxium Præsidentis apparitioni: mox jurabat Antecessor, a quo erat institutus in Legum doctrina, illum juris peritiâ satis esse instructum. Addere operæ pretium est heic annotata à Pancirolo *l. 1. variar. lection. c. 26* de tabellionum creatione. *Legitur in quadam Leonis Philosophi Novella, ex certo corpore tabellionum eruditiores & vita integritate probatiores ex collegij sententia electos fuisse, qui LX libros Basilicon & XL Titulos Encheiridij tenerent. Eos autem ephestrade indutos ad Præfectum Urbis perductos fuisse, jurantibus his qui elegerunt, se nulla ambitione vel gratia motos electionem illam fecisse. Mox in Auditorio Præfecti Urbis annulo signatorio accepto ad Tabularij gradum promotos, inde ad templum perductos fuisse, ubi pro ephestrade à Sacerdote album phetonium, recitatis quibusdam precibus, accipiebant. Postremò omnes simul convivatos esse. Quæ aliquam in creandis Doctoribus nostris habent similitudinem. Hactenus Pancirollus.*

## SUPPLEMENTVM LIX.

Ad pag. cxvii.

**E**Xcerptum illud Phorianum Olympiodori docet, Pallium Sophisticum, quo de ibi agitur, non fuisse duntaxat Rhetorum